Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

psalmum cantantes debent eidem psalmodie vel usque ad finem x psalmorum inter-
esse. aut si capitulum est post terciam usque ad sextam nec minus post sextam si tamen
fratres tunc non ierunt dormitum. Aliquando vero post evangelium maioris misse aliquis
sacerdotum licentiam accipere potest. Quod tamen reprehenditur si aliquandiu ab
aliquo frequentatur. Sciendum autem quod nullus sacerdos in una die duas mis-
sas debet cantare nisi magna cogat necessitas. et nisi domnus abba vel
prior ei concedat. Has autem missas simul debet cantare. et ad posteriorem tam di-
gitos quam calicem differt lavare.

De subdiacono.

Subdiaconus qui lecturus est epistolam, cum sacerdote processurus ad altare
portat textum evangelii et ponit in medio altaris. Pulvillum non portat
nisi in xii lectionibus. Quo deposito et confessione dicta si est in xii lectionibus in
dextro choro stat ad formam supprimus usque dum ad legendum procedat.
In privatis vero diebus sive sit in custodia sive non in eodem choro stat ad
parietem. Ibi inchoata prima oratione cum ceteris fratribus super misericordiam se sum-
mittit usque dum ad ultimam orationem dicatur Per dominum. Si quando prophetie
lectio recitanda est, lecturus eam etiam si de dextro sit oppositum in si-
nistro choro locum occupat, quod nulli alii officium quodlibet acturo
sine iussione prioris licet. Antequam incipiat et postquam lectionem finit
ante et retro facit. Finita lectione reponit librum in armariolo quod
habetur in presbiterio. et si xii lectionum dies celebratur prope diaconum
sine licentia sedet. Iuniusque est sacriste ebdomadarii ut ei sellam provideat, quam
etiam vel illo surgente vel postea cum visum fuerit reportat. Hic textum evangelii
in omni missa que sollempniter agitur pulvillo supposito circumferre debet
per chorum et extra etiam si fiat pro defunctis, sed tunc sine pulvillo. primo quidem
ad eum qui chorum tenet, deinde ad eos qui stant ad formas in dextro choro
et sinistro, deinde veniente illo in aditum minoris chori omnes qui
ibi volunt accedunt, hisque exteriores succedunt. Deinde revertitur ad
eos qui stant ante formas in utroque choro. Nusquam autem se inclinaturum